



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De veritate propositionum de futuro contingenti absoluto, &
conditionato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

loquente cognoscatur, eius locutio, & externa oratio sit mendax fallaxque: significat enim adesse conceptum, qui reuera non adest, sed potius oppositus.

43 At hoc nostræ non obstat sententia: præterquam enim, quod quæstio potissimè sit de propositione disiunctiua interna; aliud est externam esse mendacem, aliud falsam: prior denominatio est à respectu ad obiectum, quo, siue conceptum locutioni præuium, posterior à respectu ad obiectum, quod, siue rem cognitam: prior conuenit huic propositioni externæ ab hæretico mysterium Trinitatis non credente prolata, *Deus est unus*: mentitur enim A catholicus ita loquens: posterior verò, nimirum falsitas ei non competit: transeat ergo propositionem externam disiunctiuam, ne sit mendax, neque non verax, opus habere, vt aliqua disiunctionis pars non sit, vt simul haud sint ambæ: ceterum id non requiritur ad hoc, vt ea sit vera, & non falsa: impræsentiarum autem non de veracitate, sed veritate, nec de fallacia, aut mendacio, sed falsitate, quæ multoties est sine mentiendi crimine, disputamus. Adice, cum propositio externa disiunctiua est doctrinalis, & in materia necessaria, cuiusmodi est superius adducta, *aliquis homo est animal*, eam haud significare conceptum exclusiuum alterius partis, & consequenter, quin talis detur exclusio à parte rei, posse esse, non veracem modò, sed veram, & non tantum à mendacio, verum etiam à falsitate materiali: quam vocant, omnino alienam.

44 Quod spectat ad posteriorem diuisionem; quæres eam circa, an propositio causalis absolutæ ritu possit ad sui veritatem, vt id, quod affirmat esse, quia aliud est, absolutè sit, vel potius vera sit hoc solo, quod causa per particulam, *quia*, denotata, siue existat effectus, siue secus, sit ad eum necessaria, aut saltem utilis?

45 Censeo cum Auerſa loco superius citato ad veritatem propositionis causalis vtrumque desiderari, scilicet, & quod res absolutè sit, & quod dependenter à causa, supra quam particula, *quia*, appellat. Probatur autem hunc in modum: propositio causalis non adtruit solum, dependere rem à causa, sed insuper, quod sit absolutè; neutrum ergo sufficit, vt ea vera sit, sed potius ad hanc denominationem opus habet utroque: consequentia est euidens, ac manifesta: suadetur antecedens.

46 Primo, quia hæ propositiones sunt falsæ, Petrus est equus, quia hinnibilis. Iudas saluus factus est, quia perseuerauit in gratia: at si tantum adstruerent dependentiam equinitatis ab hinnibilitate, aut saluationis æternæ à dono perseuerantiæ, essent veræ, vt quæ maximè: non ergò dependentiam alterutrum affirmant, sed præterea Petrum esse absolutè equum, & Iudam esse absolutè saluatum.


47 Secundo, quia ex his præmissis: omne rationale est homo, Petrus est rationalis, haud dubie colligitur semper, Petrum esse hominem: at ex iis colligitur haud raro conclusio supra præmissas reflectens, & affirmans, Petrum esse hominem, quia est rationalis, & omne rationale est homo vt constabit ex dicendis in metaphysica lib. 1. tract. 4. c. 13. & seqq. eiusmodi ergo propositio causalis asserit, Petrum absolute esse hominem.

48 Tertio, quoniam hæc propositio, *dies est, quia sol est*, merito particulæ illius causalis, *quia*, vel denotat diem absolute dependere à præsentia solis; & ita significat etiam, diem absolute esse, pro eo, ac contendimus in præsentia, cum fieri nequeat, vt effectus aliquis absolute dependeat, & emanet à causa, quin absolute sit in rebus, esse enim à causa est simplici-

ter esse: Vel propterea denotat tantum diem, si existat, dependere à sole; atque ita ea propositio erit non causalis, sed conditionalis, quo nihil magis ridiculum, absonumvè. Quarto tandem, quia ob id propositio conditionalis non affirmat rem absolute esse, quoniam esse tantum conditionatè, & esse absolute opponuntur inuicem: at esse tantum dependenter à causis, nec, nisi per influxum earum, & esse absolute, non sunt contraria, sed potius connexa mutuo: quid ni ergò propositio causalis assermet rem absolute esse? quid ni consequenter hæc ad sui veritatem efflagitet?

49 Contra tamen opponi potest. Hæ propositiones sunt veræ; omnis propositio est vera, quia conformis obiecto, omnis est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis est bonus, quia rationi consentaneus, omnis est malus, quia auersio à summo, & incommutabili bono, & conuersio ad commutabile, & creatum, omne ens finitum existit, quia causatur à Deo, omnis anima amat, quia prius cognoscit: At absolute non omnis propositio est vera, nec omnis falsa, haud etiam omnis motus voluntatis est moraliter bonus, omnivè in genere moris malus; haud item omne ens finitum absolute existit, sed plura sunt merè possibilia, & in abyſſo nihili latentia: multæ quoque animæ præcisè non amant, sed vel odio, aut timore, vel certè nullo sollicitantur affectu. Non pauca ergò propositiones causales sunt veræ, propter solam dependentiam effectus à causa sine huius absoluta existentia, & production in lucem rerum à Deo creaturarum.

50 Hæc obiectio quamvis verisimilitudinem præferat aliquam, haud tamen agrè potest repelli. Respondeo igitur, sensum prædictarum propositionum esse hunc: omnis propositio, vera est vera, quia conformis obiecto, omnis falsa est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis bonus, est bonus, quia rationi consentit, omnis malus est malus, quia auersio, &c. omne ens finitum existens est existens, quia causatur à Deo, omnis anima amans est amans, quia prius cognoscit: At luce clarius est, omnem propositionem veram esse absolute veram, & omnem falsam esse absolute falsam, omnem item voluntatis actum bonum esse absolute bonum, & malum, malum, omne quoque ens finitum existens existere, & voluntatem omnem amantem amare.



TRACTATUS IV.

De veritate propositionum de futuro contingenti, absoluto, & conditionato.

CAPVT I.

De veritate propositionum de futuro contingenti absoluto.



SSERO primo, propositiones de futuro contingenti absoluto determinate veræ, aut falsæ sunt: Hæc assertio omnium Catholicorum reipsa mihi esse videtur, licet aliqui inter quos præcipuè Nominales solo nomen

minum, & vocum usu à reliquis suo more diffideant. Probatur primò, quia propositio ab Aristotele definitur, aut si mauis, describitur, oratio verum, vel falsum significans: at propositio de futuro contingenti absolute verè propositio est. Secundo, quia propositiones contradictoriae ita comparatae sunt, vt altera vera, altera falsa sit: at ea propositiones de futuro contingenti, Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit, sunt contradictoriae. Confirmatur, quia propositiones vniuersales de futuro contingenti iuxta Aristotelem præcipue nobis aduersarium determinate falsæ, & nullo modo veræ sunt, quod Aristoteles edocuit ea fortè ratione ductus, quia moraliter impossibile est, vt in tanta hominum multitudine aliquis non currat, quod ad falsitatem vniuersalis affirmatiuæ sufficit, aut aliquis à curru non abstineat, quod ad vniuersalis negatiuæ falsitatem satis est: at eo ipso, quod tales propositiones vniuersales de futuro contingenti determinate falsæ sint, non poterunt non determinate veræ esse propositiones particulares de futuro contingenti, nimirum hæ; aliquis homo currit, aliquis homo non currit: ergo, &c. Minor probatur, quia ea particulares de futuro contingenti illis vniuersalibus contradicunt: particulares igitur determinate veræ erunt, vbi vniuersales determinate falsæ sint.

2 Tertio propositiones de præterito contingenti determinate veræ, aut falsæ sunt, vt vel aduersarij fatentur: ergo & propositiones de futuro contingenti: cur enim obiectum propositione antè eam verificare, aut falsificare possit, magis, quam obiectum ea posterius: cum obiectum propositione antè, & respectu illius præteritum non magis existat, cum propositio existit, quam obiectum ea posterius, & quod respectu illius futurum est. Quarto, quia Deus de futuris contingentibus in particulari iudicat, & propositiones efformat iuxta illud Sapient. 8. cap. signa, & monstra scit antequam fiant, & euentus seculorum, & temporum. Quod etiam aliis mille locis scriptura testatur: at omnis propositio diuina posituè vera est. Demum à priori, aut Petrus currit in instanti A. aut non: alterutrum enim necessario eligendum est iuxta illud irrefragabile principium quodlibet est vel non est. Si primum; hæc igitur propositio, Petrus currit in instanti A. prius prolata determinate vera est, cum obiectum eius ita se habeat sicut ipsa representat: Si secundum, ergo ea propositio prius prolata eadem ratione falsa est.

3 Affero secundo propositiones nostræ de futuro contingenti antea, quam earum obiecta existant, nec determinate veræ, nec determinate falsæ sunt, si proprie, & cum rigore loquendum est. Probatur; quia veritas propositionis nostræ de futuro contingenti est complexum ex actu, & existentia rei, quæ futura enunciatur; at nullum complexum propriè existit, antequam omnes eius partes existant: veritas igitur de futuro contingenti non existit propriè, antea, quam eius obiectum existat, esto improprie, & in communi usu loquendi ante existentiam obiecti propositio de futuro contingenti vera dicatur, eo, quod ante eam existentiam principalis veritatis constitutum existat. Hoc, & non aliud cum Aureolo plerique Nominales re ipsa censuisse mihi videntur.

C A P V T II.

Quatenus præscientia futurorum cum eorum contingentia, & libertate cohereat?

4 A Ristoteles 1. Perihermenias cap. 8. & Tullius lib. de fato, & cum iis non pauci hæretici veritatem, & falsitatem propositionum de futuro contingenti in particulari negant, & consequenter Deo futurorum præscientiam, ac prouidentiam denegant: quorum fundamentum est, quia præscientia Dei, aut etiam præscientia humana futurorum contingentiam, & libertatem de medio tolleret: quod fundamentum bifariam proponi solet; primo quia omnis suppositio antecedens, & essentialiter connexa cum effectu eius libertatem euertit, licet enim determinatio consequens effectum eius libertati non deroget, aliàs nullus effectus liber remaneret, cum omnis effectus ex aliqua suppositione consequenti, saltem ipsius effectus determinate, & inuitabiliter existat, omne enim, dum est, necessarium est; ceterum determinatio antecedens, seu, quod perinde est, suppositio antecedens effectum, & cum eo determinate connexa omnium confessione eius libertatem tollit: at scientia Dei de peccato Petri est suppositio quædam antecedens illud peccatum, quo nimirum tota æternitate prior, & anterior est, & aliunde ratione suæ veritatis infallibilis cum eo peccato essentialiter connectitur: libertatem igitur peccati penitus euertit.

5 Secundo: quoties antecedens est Petro, v. g. necessarium, & inuitabile, consequens etiam ei necessarium, & inuitabile est: at antecedens huius enthymematis, Deus scit ab æterno Petrum peccaturum, Petrus ergo peccaturus est, Petro necessarium, & inuitabile est: igitur & consequens ei necessarium, & inuitabile est, atque adeo præscientia futurorum in Deo admissa, Petrus, non libere, sed necessario, & inuitabiliter peccabit. Maior probatur: quia quoties antecedens est absolute necessarium, & consequens est absolute necessarium, vt cernere est in hoc enthymemate, Deus est: ergo omnipotens est: quoties igitur antecedens respectuè necessarium est, consequens etiam respectuè necessarium erit. Minor probatur, quia Petrus nequit facere, ne in Deo scientia illa peccati sui extiterit: ea ergo scientia Petro necessaria, & inuitabilis est, atque adeo antecedens, &c. probatur antecedens, tum, quia ad præteritum non datur potentia, vt fert commune proloquium: at si Petrus posset facere, ne scientia Dei de peccato suo non fuisset, ad præteritum esset potentia: tum, quia scientia Dei de peccato Petri à Petro peccante non dependet, nec eo posterior est, cum talis dependentia, & posterioritas manifestam imperfectionem in Deo arguat non ergo potest Petrus facere, ne existat in Deo scientia de peccato suo, sicut facere nequit, ne existat in Deo scientia de peccato alieno Iudæ v. g. quia scientia eius peccati ab eo independens est, & eo nequiquam posterior.

6 Hoc argumentum, vt faciat homines liberos facit sacrilegos, vt rectè notauit Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei c. 9. pro cuius solutione noto primò, duplicem esse prioritatem, & antecedentiam, aliam temporis, naturæ aliam, de quibus supra non nihil disseruimus. Noto secundo determinationem, siue connexionem antecedentem antecedentia naturæ obesse libertati effectus, quem respicit, siquidem

causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, vel non operari, ac proinde effectus liber est, qui à causa, & requisitis omnino indifferentibus ad utrumlibet & non connexis, ac determinatis ad vnum proficiscitur; connexio igitur causa, aut alicuius requisiti, aut conditionis complementis causam, seu, quod recidit in idem, eius determinatio ad vnum libertati obest: cum ergo connexio, & determinatio antecedens natura sit connexio, & determinatio causa, & cōplementi eius in actu primo, non potest non connexio hæc, & determinatio antecedens indifferentiæ causæ in actu primo, ac proinde libertati effectus non obesse. Noto tertio, connexionem, & determinationem antecedentem antecedentia temporis libertati effectus non obesse: siquidem ex definitione libertatis nuper posita solam connexionem, ac determinationem antecedentem natura libertati obesse colligitur: cur ergo determinatio antecedens tempore ei obesse videatur.

7 Noto quarto, scientiam Dei de peccato Petri quoad denominationem, & determinationem eo posteriorem esse, & ab eo dependere; quia ideo Deus præscit, Petrum peccaturum, quia Petrus peccaturus est, & non è conuerso, vt Sapientissimus P. Molina in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 50. docet ex communi Patrum sententia, quorum vnum, aut alterum sectione sequenti laudabimus: scientia igitur Dei de peccato Petri eo posterior est, aliàs sanè, cum dicitur, ideo lignum calefieri, quia igni applicatur, calefactio applicatione posterior, & ab ea dependens negari potest. Quamquam autem Thomistæ dependentiam hanc, ac posterioritatem cum imperfectione diuini actus coniunctam esse aliis, aliisque verbis inculcent, manifestè tamen falluntur; siquidem hoc, quod est deficere maius argumentum imperfectionis est, quam dependentia, ac posterioritas, at scientia Dei quoad determinationem, ac demonstrationem absque vlla imperfectione deficere potest, vt vel aduersarij fatentur, ergo & absque imperfectione obiecto creato posterior, & ab eo dependens est. Deinde maior est posterioritas originis, qua filius patre posterior est, quam posterioritas, qua scientia Dei obiecto suo posterior est, cum scientia sit posterior obiecto velut mera conditione, sine qua non esset, non tamen à qua sit, filius verò patre æterno velut principio eius realiter productiuo posterior sit: at prior illa posterioritas cum imperfectione coniuncta non est: igitur nec posterior.

8 Noto tandem, potentiam ad præteritum duplicem esse; aliam directam, & physicam, aliam indirectam, & intentionalem; potentia physica, & directa ad aliquid præteritum ponendum, aut tollendum est, qua causa prout relata ad tempus præsens in aliquid iam præteritum physicè, & directè influit, & cōcurrit, aut concursum physicum & directum in illud omnino cohibet, & suspendit: hæc autem potentia ad præteritum planè impossibilis est; quo enim pacto causa in tempore iam transacto, in quo non existit, operari potest, aut operationem cohibere? potentia intentionalis, & indirecta ad aliquid præteritum, actū v. g. intellectus se anteriorem ponendum, aut tollendum est, qua causa aliqua creata relata ad tempus præsens operatur aliquid cuius existentia sit infallibilis conditio ad hoc, vt actus scientiæ præteritus, & tempore, vel æternitate anterior in Deo, aut in homine existat, in quam conditionem dum Petrus v. g. physicè, & directè influit in actum scientiæ ab ea pendentem, indirectè & intentionaliter influit

& quam conditionem dum destruere, aut non ponere potest per suspensionem concursus directi, & physici, sanè indirectè, & intentionaliter efficere potest, ne actus scientiæ anterior vnquam extiterit & hæc potentia ad præteritum neutiquam repugnat sed potius sacris litteris, & Patrum testimonio conformis & accommodata est, vt videre est apud P. Suar. in opusc. l. 1. c. 9. n. 20.

Quibus positis ad primum respondeo: determinatio antecedens natura, non vero tempore libertatem evertit, vt ex notatione secunda, & tertia constat: at scientia Dei de peccato Petri extituro est determinatio quædam illud, non natura, sed tempore anteueruens, & illo natura posterior, vt ex notatione quarta constat. Ad secundum respondeo: scientia Dei de peccato Petri inuitabilis, & necessaria non est, sed potius contingens, & euitabilis, potestque Petrus facere, ne ea scientia in Deo vnquam extiterit, ex quo neutiquam fit, ad præteritum dari potentiam physicam, & directam, sed tantum intentionalem, in quo nulla repugnantia est, vt ex notatione quinta constat. Rursus inde non fit, scientiam Dei quoad entitatem à peccato Petri dependentem sed tantum quoad determinationem, & denominationem ab eo dependere velut mera conditione, non à qua sit, sed sine qua non esset, in quo etiam nulla repugnantia est, vt ex notatione quarta perspicuum.

C A P V T III.

Quatenus de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione sentiendum sit.

10 Explicata concordia præscientiæ futurorum cum libertate arbitrij, superest explicandum medium in quo Deus futura præcognoscit: quæ difficultas priori leuior non est, & non paucos coegit, vt de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione plura subtilius, quam verius differrent, alios verò præsertim Nominales, vt difficultatem hanc in hac vita insuperabilem omnino esse assererent: etenim scientia Dei, (& eadem est ratio de humana nequit esse determinatè vera de peccato Petri futuro antea quam existat: quin peccatū Petri determinatè futurū sit antea, quā existat: at peccatū Petri nequit esse determinatè futurum antea, quam existat: scientia ergo Dei de eo determinatè vera esse nequit. Maior perspicua est, qua enim ratione quod determinatè futurum nō est à Deo velut futurū verè cognosci potest? Minor probatur, quia ab æterno anteaquam peccatum Petri existat, nihil assignari potest, per quod determinatè futurum sit, cum ab æterno sola carentia eius peccati existat, quæ carentia, cum indifferens sit, vt postea peccatum existat, vel non existat, peccati futuritio esse nequit.

11 Respondent primo Thomistæ, Deum non cognoscere peccatum Petri esse futurum, iuxta illud D. Gregorij. *Deo futurum nihil est ante cuius conspectum non transiunt futura, neque veniunt.* Cui August. Boëtius D. Thomas, & alij Patres astipulantur; sed cognoscere peccatum Petri velut sibi ab æterno præsens iuxta illud Boëtij. *Talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore futura proseruiunt*, cui Patres allegati consentiunt. Prior pars huius sententiæ ex iis, quæ numero superiori allata sunt, ab iis suaderi solet: posterior autem pars ab iis probatur primo, quia æternitas est tota simul, omnisque secessionis incapax

incapax iuxta eius definitionem à nemine non receptam. *Interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*: æternitas igitur creatis, ac successivis durationibus simul, & non successivæ coexistit, è conuerso igitur durationes successivæ, & creatæ simul, & non successivæ æternitati coexistunt: fieri autem nequit, ut omnes durationes successivæ, & creatæ simul, & absque ulla successione æternitati coexistant, quin quævis illarum antea, quam in propria temporis differentia existat, in instanti, & nunc æternitatis existat: si enim quævis illarum æternitati non coexistit, nisi quando in propria temporis differentia existit; omnes ergo solum successivæ æternitati coexistunt, cum in propriis temporum differentiis procul dubio successivæ existant. Secundo aliquantulum aliter: æternitas est indiuisibilis duratio, & tota simul, at quævis creatura æternitati physice coexistit: toti igitur æternitati coexistit, ac proinde ei ab æterno coexistit.

12 Tercio in hanc præsentiam physicam rerum in æternitate nonnemo ex nostris etiam inclinatur, eamque aliter explicat, & probat, quia ab æterno, & ante ullam temporis differentiam hæc propositio, Petrus existit, est vera: Petrus igitur ab æterno & ante propriam temporis differentiam æternitati coexistit. Consequentia videtur perspicua, quia eo ipso, quod in hoc instanti A sit verum dicere, Petrus existit, nequit Petrus non existere in instanti A: eo igitur ipso, quod ab æterno, & ante propriam temporis differentiam sit verum dicere, Petrus, existit nequit Petrus ab æterno, & ante propriam differentiam temporis æternitati non coexistere. Antecedens probatur, quia Petrus non minus existit in instanti, & nunc æternitatis, quam in instanti, & nunc temporis successivæ: sicut igitur propositio correspondens his vocibus, Petrus existit, referre potest existentiam Petri ad instans successivum præsens præscindendo ab æternitate, ita è conuerso poterit referre existentiam Petri ad instans, & nunc æternitatis præscindendo à quouis instanti, & nunc temporis, & sicut vera est, cum refert existentiam Petri ad solum instans successivum, ita similiter vera est, cum refert illam ad solum instans, & nunc permanentis æternitatis: at eo ipso, quod illa propositio, Petrus existit, vera permanentis referat existentiam Petri ad solum instans, & nunc æternitatis, non est, cui vera non sit ab æterno & ante quamvis differentiam temporis, siquidem instans æternitatis, quod vere respicit, ab æterno est, & omnem temporis differentiam antequirit; pro tunc ergo vera est, atque adeo Petrus ab æterno, & ante propriam temporis differentiam æternitati physice coexistit.

13 Duo tamen mihi in præsentia certa, & indubitata sunt: Primum, nullam rem creatam ab æterno, & prius tempore, aut duratione reali æternitati coexistere, quia nulla res æternitati coexistere potest, quin eo ipso absolute, & in seipsa existat, at nulla res ab æterno, & prius realiter, quam in propria temporis differentia existat absolute, & in seipsa existit, ut fide sanctum est: nulla ergo res ab æterno, & realiter ante propriam temporis differentiam æternitati coexistit. Maior probatur, tñ, quia hæc illatio existit in æternitate, siue æternitati coexistit, ergo existit: non est à secundum quid, ad simpliciter, sed est ab inferiori ad superius affirmatiue, quia existere in æternitate non est conditio diminuens ipsum existere in se, sed addit supra illud denominationem, siue relationem ad aliud simul existens, ut recte hic arguit Magnus Suarez cuius verba etiam referre libuit: nequit igitur aliquid æternitati coexistere quin absolute, & in se

existat: Tum, quia non potest aliquid alteri coexistere in loco communi quin absolute, & simpliciter in loco existat: haud igitur valet aliquid æternitati in duratione communi coexistere absque eo, quod absolute, & simpliciter in aliqua duratione existat.

Porro autem hoc argumentandi genus, quo contendimus non posse creaturam coexistere creatori ab æterno, quin absolute existat ab æterno, quamuis à nostris aduersariis parui habeatur, tamè per se manifestum est, atque inter Ecclesiæ Patres in multis aliis materiis satis solemne: Eorum longo, & superuacaneo censu prætermisso vnus sufficiat Claudianus de statu an. lib. 1. cap. 2. ubi sic ait: *sed quid ego nunc de affectu differam, eundemque passibilem fore disputando conuincam, cum is ipse, cui contradicimus, haud dubio passus sit crucifixo homini Deum fuisse compassum: Quidnam, quæso, istud est, non sensu patientis sensu, sed sensu, quidve, non sensu? Aut quomodo passus est, si non sensu? Nunquid si quispiam dicat, ambulat ille, & ille coambulat, aut loquitur ille & ille colloquitur, nonne & colloquemem loqui, & coambulantem ambulare significat? Aut si quis ait: mortuus ille est, ut ille commortuus, nonne vtrumque mortuum fuisse confirmat? nam qui commoritur, vtrique moritur: ergo & qui compatitur vtrique patitur: passa est igitur, si compassa diuinitas: ergo & fortassis mortua: aut si istud etiam cogitari nefas est, non ergo passus est Deus: igitur nec affectus: ubi est nunc compatientis affectus?*

Ad primam rationem oppositam respondeo: æternitas Dei non simul, sed successivæ rebus creatis coexistit: ad quod opus non est, ut in æternitate sit aliqua successio, aut vicissitudinis obumbratio, sed factis est, ut ea sit in rebus creatis; haud secus, ac Deus creaturis est imperfecte similis, & ab iis imperfecte participatur, non, quia in Deo aliqua imperfectio, sed quia in creaturis ei assimilabilibus: proinde è contrario res creatæ æternitati successivæ, & non simul coexistent, ac per consequens nulla creatura ab æterno, & ante propriam temporis differentiam erit æternitati præsens. Ad secundum. Quævis creatura coexistit quidem toti æternitati, at non totaliter, & propterea æternitas omnes temporum vices amplectitur unde non est, cur ei coexistat ante propriam temporis differentiam, & semper, siue ab æterno: Sic omnis creatura toti immensatur, sed non totaliter, siue vbi-que coexistit: Et sic quævis corporis pars totam animam rationalem, sed non totaliter suscipit.

15 Ad tertiam rationem oppositam. Quod hæc propositio, Petrus existit relata ad nunc æternitatis semper vera sit, esto falsa aliquando sit, si instans successivum connotet, quod, inquam, ea semper vera sit, tantum arguit Petrum semper, & ante propriam temporis differentiam æternitati coexistere, non præsentia physica, & reali, de qua sermo, sed præsentia intentionali, & rationis. Quod suadeo, quia etiam hæc propositio, Petrus existit in instanti A ab æterno, & ante instans A vera est: at propterea Petrus physice, & realiter non existit in instanti A ab æterno, & ante ipsum instans A, sed tantum intentionaliter, & per actum intellectus: ergo similiter, &c. Ad Patres, quibus tam Thomistæ, quam nostri recentiores præcipue innituntur. Cum ante conceptum Dei nihil esse futurum asserunt, non cognitionem futurorum, quæ talium ei denegant, sed tantum id volunt nihil ei esse futurum intentionaliter, quod contra nos nequitiam militat, & verissimum est, siquidem id futurum intentionaliter est, quod modo non cognoscitur, & postea cognoscetur: Cum autem omnia Deo præsentia esse tradunt, aut loquuntur de præsentia intentionali, quæ omnia ab eo æternum cognoscuntur,

gnoscentur, aut certe de præsencia physica, quæ cuncta æternitati, non tamen ab æterno sint præsencia.

16

Secundo mihi certum, & exploratum est, creaturas prius natura, quam in propriis temporum differentiis existant, coexistere radicaliter æternitati, siue ei præsentes esse, quia Petrus, v. g. prius natura exiit secundum se, quam in instanti successiuo, at pro illo priore æternitati radicaliter coexistit, & præsens est: ergo, &c. Maior est perspicua: sicut enim Petrus vocationem, situm, quantitatem, bonitatem, malitiam, & alia accidentia ordine nature anteuertit, non est, cur durationem successiuam similiter non præcedat, præsertim, quia ideo successiuè durat, quia exiit, non è conuerso, quæ causalis in rebus distinctis certissima index est naturalis antecessoris. Minor probatur primo, quia pro illo priori, quo Petrus anteuertit natura durationem successiuam, intelligitur habere prædicata omnia sibi essentialia: at radicalis coexistentia æternitati ei est essentialis: Secundo, quia nunc æternitatis est prius natura, quam nunc successiuum instantis A, cum hoc ab illo dependeat: si enim Deus non esset, nullæ temporum vices essent: prius ergo natura Petrus in nunc æternitatis radicaliter quam in nunc successiuo formaliter existat: sicut, quia prius tempore est instans A, quam B, prius tempore Petrus instanti A, quam B. coexistit. Cæterum res omnes create, quæ ad prædicamentum quando atinent & ad aliquam temporis differentiam sunt essentialiter alligatæ non prius natura æternitati radicaliter coexistunt, quam in tempore existant, cum pro quouis priori tempus essentialiter respiciant.

17

At alij secundo respondent, res futuras velut tales à Deo ab æterno verè cognosci, easque ab æterno futuras constitui per actum scientiæ, quod à Deo cognoscuntur. Displicent tamen primo; quia non ideo res futuræ sunt, quia à Deo cognoscuntur, sed potius è conuerso: at si cognitio Dei futuritio rerum esset, & res futuras constitueret, ideo plane res futuræ essent, quia à Deo cognoscuntur, sicut, quia Petrus constituitur in ratione hominis per animal rationale, ideo sane Petrus est homo, quia est animal rationale: cognitio ergo Dei nequaquam est futuritio rerum: Maior probatur ex Origene lib. 7. in epist. ad Rom. ibi *non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum*. Ex Hieronymo in princ. cap. 16. Hierem. ibi: *non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est*: Quibus plerique Patres ad stipulantur apud Molin. in concord. quæst. 14. art. 13. disp. 50. Secundo, quia si scientia Dei esset futuritio rerum perinde esset rem esse à Deo scitam, ac esse futuram: vnde in instanti, quo res exiit, sicut absolute à Deo scitur, ita absolute futura esset, quod tamen omnino falsum est, cum potius in eo instanti absolute præsens sit.

18

Tertio alij futuritionem rerum esse aliquid existens in mente diuina per modum speciei impressæ malunt. Verum immerito: tum, quia sicut ex obiecto nondum existenti velut à conditione, sine qua non, species illa impressa in Deo quodammodo resultat, cur quæ iam ipse scientia Dei sine ea specie resultare nequeat in Deo immediate? tum, quia species impressa in creatis instituta est suapte natura ad supplendum concursum obiecti in actum; concursum, inquam cuius actus est capax, aliàs haud posset suppleri: at ad scientiam Dei concursus omnis impossibilis est, cum sit à se, & improducta: species igitur impressa ad eam est impossibilis: tum de-

num, quia diuina voluntas ratione suæ perfectio nis habitibus superadditis caret, vt aduersus Heretram cæteri tradunt scholastici: ergo & intellectus diuinus speciebus impressis.

Quarto denum alij, inter quos Alexander Pefantius 1. part. quæst. 14. art. 13. d. 5. rerum futuritionem constituunt in decreto diuinæ voluntatis, quo Deus eas efficaciter decernit. Verum in primis inexplorata manet futuritio peccati, in quod diuina voluntas neuitquam fertur. Deinde haud exponitur ex sufficienti futuritio vilius actus liberi etiam studiosi, si forte Deus nullum actum liberum efficaciter velit, aut præfiniat. Tandem in hac sententia res cum præsens est, & actu exiit, simul futura esset, cum tunc à Deo volita sit, vt supra in simili arguebamus.

19

Quamobrem dicendum est futuritionem rerum esse conceptum successiuum, & realiter consistere in carentia antecedenti, & existentia consequenti, atque adeo res ab æterno propriè, & strictè futuras non esse, sed partim ab æterno, partim in tempore: Quamuis autem rerum futuritio propriè, & strictè ab æterno non sit, ab æterno tamen cognosci potest à Deo, quia scilicet ea est infinitas, & perfectio diuini intellectus, vt ea, quæ nondum sunt, tanquam si essent perspicacissime cognoscat, iuxta illud Pauli ad Roman. 4. *vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt*.

20

Non me latet Theophylum Raynaudum in discip. moral. d. 2. num. 344. Thomam Braduardinum lib. 3. de causa Dei cap. 18. Dionysiumque Cisterciensem in 1. dist. 38. quæst. vnica art. 2. tametsi collocent mecum, & Hurtado disp. 9. de anim. sect. 9. subsect. 1. §. 36. aliisque plerisque scholasticis futuritionem in carentia antecedenti, & existentia consequenti, siue, quod perinde est, in non esse ante esse, existimare tamen, eam esse æternam, eoque ex titulo posse illam à Deo æternam cognosci. At male: primo, quoniam vocola illa, *ante*, denotat relationem veluti prædicamentalem inter non esse, & esse: sed relatio prædicamentalis suis extremis est realiter eadem: *ergo non esse ante esse* inuoluit in time, tum esse, tum etiam non esse: at esse non est ab æterno: ergo nec futuritio propriè, & adæquate sumpta: Secundo, quoniam eis aperte contrariatur Augustinus lib. 11. confess. cap. 20. vbi sic ait: *quod autem nunc liquet, & claret, neque futura sunt, neque præterita. Nec propriè dicitur tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum: Et inferius; dicatur, & tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum, sicut ab initio consuetudo; dicatur, nunc non curo, nec resisto, nec reprehendo: dñ tamen intelligatur, quod dicitur: neque id, quod futurum est esse iam, neque id, quod præteritum est. Pauca sunt enim, quæ propriè loquimur, plura non propriè, sed agnoscitur, quid velimus. Hinc sic arguo: res vt futura, siue eius futuritio iuxta Augustinum propriè non est: ergo nec est propriè ab æterno, si quid valet argumentum à superiori ad inferius negative: Deinde quorsū hæc locutio, *res est futura*, sit iuxta Augustinum impropria, nisi, quia particula, *est*, denotat præsentiam, & similitatem, ac particula, *futura*, successionem; sic vt ambæ terminos iungant repugnantes in præfata propositione: ea ergo non, nisi per metaphoram & improprietatem quandam est vera: ac proinde rem esse futuram ex toto, & propriè sumptum haud potest esse ab æterno.*

21

C A P V T Vltimum.

De veritate propositionum de futuro contingenti conditionato.

22 **P**ropositiones de rebus contingenter, conditionatèque futuris esse destinatè veras, Deumque earum certam, ac infallibilem habere scientiam, adeo exploratum est, vt, vel Deus obiecta absolutè futura non cognoscat, vel conditionate exitura non ignoret: totidem vtroque rationes, totidem testimonia scripturarum, Conciliorum, ac Patrum militant. Quid euidenti illo testimonio Matthæi c. 11. *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent.* Quid eo testimonio Augustini de dono perseuerantiæ cap. 9. clarius: *certe poterat Deus præsciens illos esse lapsuros auferre de vita.* Quid aliis similibus, quorum census non exigui voluminis opus est, nec modo breui pagella circumscribi patitur.

23 Hæc illa scientia media, quæ aduersus nostri temporis hæreses auspiciatissimè vsus est P. Ludouicus Molina, vir singularis modestiæ, ac religionis, & ingenij acumine, ac eruditionis laude præstantissimus si quis alius; ab eo media iure merito nuncupata, vel, quod nec merè possibilia, sicut scientia simplicis intelligentiæ, nec absolutè existentia, sicut scientia visionis, sed conditionatè existentia, & medio statu prædita cognoscat, vel quod, nec à determinatione, & decreto diuinæ voluntatis dependens sit, sicut scientia libera, quæ v.g. Deus mundum exiturum cognoscit, nec necessaria, & non esse impos sit, veluti scientia necessaria, quæ Deus mundum possibilem esse cognoscit, sed potius inter vtramque sistens, cum alterutra partim conueniat, partim differat.

24 Hæc illa scientia media, quæ cognata senioribus Patrum, cœqua Scholasticorum primis, ad nos vsque per tot annorum series, ac temporum interualla semper inoffenso, semperque secundo cursu deuenit, pro qua supra septuaginta Doctores laudat P. Didacus de Bæza tom. 3. in Euang. lib. 14. §. 25. & quam quisquis apud antiquos nouam, aut apud nouos antiquatam censet: is certè in sole caligat, atque in meridie cæcutit. Hæc illa scientia media totius prædestinationis cardo, libertatis nostræ, & efficacis gratiæ Dei sequestra, dissidentium conciliatrix mysteriorum, grauissimarum litium media, vt aiunt, manus, Pelagianis, & semi Pelagianis ignota, Lutheranis, & Caluinistis exosa, & quæ quasi cynosura felicissimè reguntur omnes quotquot surgentes infido Aquilone procellas contra Ecclesiam Dei, non è littore securi prospectant, sed inter iras, minasque maris eluctantur.

25 Hæc illa scientia media in quam constanti & irrefoluta pace coaluit alma parens Societas Iesu, hinc atque hinc totas natorum accincta phalanges; qualis ille credentium sator, vbi lacessit nascitura propagate litus arenosum, sydereasque facès; aut, si sacra licet miscere profanis,

--- Qualis Berecynthia mater

Lata Deum parui centum complexa nepotes,
Omnes calicolas, omnes supera alta tenentes.

Vt frustra sperem tantulo spatio concludere Molinas, Suarez, Vazquez Bellarminos, Toletos, Valentias, Fonssecas, Lessios, Albertinos, Ruizios, aliosque nostræ scholæ primores, quos indefessus labor,

religiosa humilitas, vitæ sanctitas; ac piæ vocationis gratia super omnis scientiæ, & sapientiæ verticem extulit. Hæc demum illa scientia media, quæ in luce Romanæ curiæ, & coram supremo illo, & Apostolico confesso toto decennio discussa sospes, & salua euasit, hostesque suos victrix detriumphauit, vt rectè in eam congruat illud Maronis.

Quam, nec Tideses, nec Larissæus Achilles,

Non anni domuere decem, non mille carina.

26 Thomistæ autem nostris argumentis conuicti sententiam suam honestè retractarunt, & cum antea scientiam conditionatorum merè coniecturalem Deo concederent, vt apertissimè constat ex Ledesma, & aliis eiusdem familiæ, qui ineunte hæc controuersia prælo sua scripta dederunt, modò certam, & infallibilem conditionatorum scientiam Deo nobiscum largiuntur. Ne vero in nostram sententiam discessisse, & à sua recessisse viderentur, circa euentus omnes sub conditione futuros decreta quædam efficacia Dei excogitarunt, in quibus futura conditionata cognoscuntur: quæ scientia, aiunt, media non est, sed visionis, & libera: visionis, quidem, eo quod eius obiectum primum, & formale sit aliquid existens, nimirum decretum aliquid diuinæ voluntatis: libera autem, eo quod tale decretum supponat, & ab eo dependeat. Quam optarem, vt per locum, & tempus mihi liceret ostendere, quatenus hæc decreta libertatem arbitrij tollant, gratiæ Dei sufficientiam euertant, Deum auctorem peccati constituent, eique prouidentiam omnino superfluum, & absurdam affingant. Verum hæc non otij nostri sunt, non instituti.

27 Obiicies primò obiectum non est determinatè futurum sub conditione: propositio igitur asserens obiectum ita futurum non est determinatè verum: probatur antecedens, quia nihil est, per quod obiectum determinatè futurum sub conditione constituitur: cedo enim, quale illud esse possit? Respondent aliqui obiectum esse determinatè exiturum sub conditione per ipsam scientiam Dei conditionatam. Alij, per aliquid existens in mente diuina, per modum speciei impressæ. Alij, per decretum efficax conditionatum diuinæ voluntatis. Alij demum per complexum ex actu libero possibili, & conditione, à qua, si poneretur, actus dependeret. Verum hæc solutiones, dempta vltima, in simili impugnatae manent, cum de futuritione absoluta ageremus superius. Vltima autem aperte falsa est, quia actus liber possibilis esse potest, & simul conditio possibilis etiam esse potest, quin actus liber sit exiturus sub conditione, sed potius sub ea non exiturus: hoc ergo, quod est actum liberum esse exiturum sub conditione in eo complexo ex actu libero, & conditione possibilibus perperam collocatur.

28 Respondeo ergò, actum liberum non existentem, nec absolutè exiturum constitui, & denominari exiturum sub conditione per aliquod prædicatum positiuè sibi intrinsecum, quod est medium inter prædicatum puræ possibilitatis, & prædicatum puræ existentiæ, actuique statum medium attribuit. Quid autem sit hoc prædicatum, obiectum vè medium, siue rem esse exituram sub conditione, tamen inintelligibile esse aliqui existiment, ceterum non minus intelligibile mihi videtur, quam prædicatum possibilis, aut prædicatum absolutè existentis, quæ sunt actui intrinseca.

29 Dices, actus merè exiturus sub conditione simpliciter aliquid non est, nec simpliciter existit: illud ergò prædicatum, in quo futuritio conditionata à nobis collocatur ei intrinsece

secè inesse nequit : ei enim , quod aliquid non est , qui aliquid intrinsecè inesse sustinet. Respondeo, existentia conditionata non est simpliciter existentia, nec simpliciter aliquid : vnde intrinsecè inesse potest actui , esto hic simpliciter non existat, nec sit aliquid. Urgebis : nulla causa excogitari potest , à qua prædicatum illud , in quo conditionata futuritio à nobis constituitur, oriatur, & in actum resultat : liberum enim arbitrium adiutum gratia Dei , à quo esse possit, nondum existit. Respondeo existentiam illam conditionatam, cum simpliciter existentia , aut aliquid non sit, oriri & proficisci quodammodo posse à libero arbitrio adiuto gratia Dei , esto hoc nondum aliquid sit , & simpliciter omni esse careat. Insites : si existentia conditionata esset prædicatum aliquod intrinsecum actui , quod in eo ita resultat, vt non resultare posset, aliqua certè daretur libertas in statu conditionato, atque adeo meritum aliquod, & demeritum, quod tamen semi Pelagianismum redolet. Respondeo libertas est indifferentia ad operandum , vel non operandum : at in statu conditionato non est indifferentia , aut facultas ad operandum simpliciter, aut non operandum : operari enim sub conditione , aut ita non operari non est simpliciter operari, vel non operari : quamobrem in statu conditionato nulla libertas simpliciter , ac proinde nullum meritum , aut demeritum videtur.

30 Obiicies secundò : propositiones de futuro contingenti conditionato disparatæ , qualis est hæc , si Turca ludat, Persa saluabitur, nunquam sunt determinatè veræ : ergo nec propositiones de futuro contingenti conditionato etiam si non sint disparatæ. Respondent nonnulli , negato antecedenti. Perperam tamen, quia propositio ea, si Turca ludat, Persa saluabitur, vbi verè conditionalis sit, vt hi recentiores existimant, affirmat, Persam saluandum sub conditione lusus Turcæ , atque adeò lulum Turcæ esse conditionem ad salutem Persæ virtualiter affirmat : at lusus Turcæ nequitiam est conditio ad salutem Persæ : propositio igitur illa , si strictè conditionata sit, semper erit falsa , & nunquam vera : minor probatur, quoniam conditio, vt talis est, aliquam connexionem, vel conducentiam habet ad id, cuius conditio est, connexionem, inquam, vel conducentiam physicam, aut certè moralem, & ex decreto Dei, de qua sermo est lib. 4. Reg. cap. 13 : *si percussisses quinque, aut sexies sine sepius percussisses Syriam usque ad consummationem* : at lusus Turcæ respectu æternæ salutis Persæ nullam habet connexionem, nullam conducentiam physicam, aut moralem, aliàs propositio illa, quæ de loquimur verè conditionata esset, contrà quam aduersarij supponunt,

Melius ergo cum P. Suarez de scientia conditionata lib. 2. cap. 6. respondeo. Propositio illa si Turca ludat, Persa saluabitur, aut significat meram concomitantiam, & coexistentiam lusus, & salutis ita, vt in mente sit hæc, *quando Turca ludet Persa saluabitur* ; & ita non conditionalis, sed categorica complexa est, ac vera esse potest : quare ex ea contra veritatem propositionum ; conditionalium non disparatarum argui non potest ; tum , quia conditionalis non est, tum etiam , quia vera esse sustinet. Aut ea propositio significat dimanationem, & dependentiam conditionatam vnus ab alio ; & ita verè conditionalis est ; ceterum nunquam vera est, ob rationem nunc. superiori assignatam : inde tamen perperam ad conditionales non disparatas arguitur , in quibus conditionatum à conditione dimanat, & dependet, sicut ad earum veritatem oportet.

32 Obiicies tertio. Ad veritatem propositionis conditionalis requiritur essentialis connexio conditionis cū conditionato : hanc enim particula, *si*, designat : nec aliud apparet, cuius ea possit esse signum : at propositiones de futuro contingenti conditionato non procedunt sub conditione, inter quam, & conditionatum vlla reperiatur connexio : nunquam ergò sunt veræ. Nescio quo iure Thomistæ neoterici maiorem assumant, quam indubitanter falsam , & seculo suo inauditam esse tradit Sotus lib. 3. summul. c. 8. lect. 3. Ad eius probationem respondeo, particulam, *si*, significare, non connexionem conditionis cum conditionato, seu illationem necessariam consequentis ex antecedenti, sed existentiam rei sub conditione, siue cum ea connectatur , & ab ea inuitabiliter inferatur, siue secus. Quid autem sit, aliquid esse exiturum sub conditione, aut quod erit ea posita, non, nisi religiosè nimis, & importunè à quibusdam interrogatur iterum , atque iterum , cum sponte sua notius sit, quam vt explicari possit amplius.

33 Obiicies quartò. Futuritio absoluta per nos carentiam importat ante existentiam : perperam ergo videmur explicuisse futuritionem conditionatam sine carentia aliqua. Respondeo, futuritionem conditionatam latè sumi solere, vt solam concernat existentiam conditionatam rei : quod genus existendi, quia solum fermè est, de quo ab authoribus controvertitur in præsentia, idcirco futurum sub conditione, prout cum eo recurrens, exposuimus hætenus, Haud propterea tamen imus inficias rem strictè esse futuram sub conditione, inuoluere duo , nimirum nunc absolutè non existere , & esse exituram sub conditione, vel nunc, vel postea ; adeoque complecti, præter esse conditionatum, non esse, siue carentiam aliquam.